



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XVIII. Pia exhortatio ad confessionem & poenitentiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ieiunia. Ad singulos diuæ Mariæ atque apostolorum omnium dies festos (excepto vnico Philippi & Iacobi, quo paschatis gratia cibo non temperatur) iejunia sunt. Singulo quoque Veneris die (nisi quidem festus agatur) iejunium esto. A paschate vero usque ad pentecosten, atque ab ipso natali Iesu Christi die ad octauam usque ab epiphania lucem, iejunia nemo obseruato, nisi quidem iudicio ac voluntate fecerit sua, aut id ei fuerit a sacerdote imperatum.

XVII.

Porro autem festis diebus omnibus, quatuor temporum ieuniis, quadragesima, ceterisque omnibus quibus rite fuerit indicatum iejunium diebus, omnis ordalii ac iurisurandi iurisdictio intermittitor. Ab anniversario item aduentus Domini die festo ad octauum usque ab epiphania diem, atque a septuagesima ad decimamquintam a paschate lucem, iustitium edicimus. Sane quidem annua diuorum Edvardi & Dunstani festa religiose ab Anglis decimoquinto Kalendas Aprilis, & decimoquarto Kalendas Iunii, celebranda sapientes instituerunt. His ergo festis solennibus Christiana fide tinctis omnibus, ita ut conuenit, festa & tranquilla pax esto, omnisque procul absit fraus & malitia. Atque si quis alteri siue fideiussios, siue compensationis nomine debuerit quidquam, aut ante hosce dies, aut continuo pone retribuito.

XVIII.

Christianæ fide imbutos omnes pro sui quem in Deum habent amoris magnitudine obtestamur, ut quæ sunt sibi ad salutem necessaria cupide animo & cogitatione comprehendant. Adueniet etenim tandem aliquando tempus, cum diuinæ paruisse voluntati, tum cum liberum dabatur spatium, multis partibus malimus, quam omnes omnium qui in terris degunt possedisse fortunas. Sane quidem vniusmodi nobis omnibus, ut fuerint cuiusque facta, decernetur stipendum. Tum denique va misericordia qui viui æterna inferorum supplicia promeruisse. Quin igitur a delictis diligentius declinemus, ingenui sacerdoti peccata quique fateamur, ab omnibus in posterum maleficiis abstineamus, admissa officiose com-

Concil. Tom. 25.

Rr ij

Regii manuscripsi
capitulum
24.

Festa sanctorum Edvardi & Dunstani.

Regii manuscripsi
capitulum
25.
Pii regis pia exhortatio.

pensemus, eas denique aliis imponamus leges, quibus ipsi parere non grauaremur. Hoc etenim sincerum est iudicium, Deoque gratum & acceptum, vereque beatus est quisquis ex formula iudicarit. Rerum siquidem omnium auctor præpotens Deus nos omnes creavit, atque ingenti redemit precio, propria scilicet quam pro nobis efflauit anima.

XIX.

Regii manuscripti
capitulum
idem.

Christiana fide imbutus quisque quæ sibi ad salutem conducunt efficito omnia, in Christianam fidem ac religionem omni cogitatione curaque incumbito: ac qui ea quæ sunt sibi ad salutem necessaria animo ac mente (vt quidem omnes velle debebunt) concipere voluerit, ter saltem quotannis ad eucharistiæ perceptiōnem animum præparato. Dicta factaque sua omnia (qui se gratiosum fore confidit) rite dispensato, atque ordine disponito, iuriurandum datamque fidem religiosissime seruato, iustitiam pro sua quisque virili parte ditio-
nis nostræ finibus omnem arceto, iustitiam denique diuinam dehinc dictis factisque studiose persequitor, atque ita tandem aliquando diuinam omnes cumulate conse-
quemur miserationem.

XX.

Regii manuscripti
capitulum
26.

Præterea autem ipsi exequamur quod aliis imperamus: semper quidem in Dominum nostrum animo firmosimus atque fideli, honorem eius omnibus neruis ac fa-
cilitatibus nostris tueamur, eiusque pareamus voluntati. Quidquid enim erga Dominum (ea ducti fidelitate quæ est cum virtute & officio coniuncta) fecerimus, magno id nobis erit emolumento; namque in hoc ipso Deus summus omnium rector & Dominus egregie nobis fidelis erit: maxime igitur interest, famulos Domini ratione vt regant & gubernent.

XXI.

Regii manuscripti
capitulum
27.

Christiana fide imbutos omnes admonemus grauiter, vt ex animo Deum amore & perpetuo quodam iudicio diligent, Christianam fidem religiosissime conseruent, diuinis doctoribus haud grauate pareant, Dei leges & doctrinam diligentissime perscrutentur, atque ad suam ipsorum vilitatem sœpe ac multum exquirant.